



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo aeuo doctiss. ... Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia**

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem  
Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ;  
Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Iohannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd  
Herbipolin Abbatis, viri suo æuo doctissimi Secvndæ Partis Chronica  
Insignia Dvo - I. Coenobii Hirsavgiensis, Diœcesis Spirensis: eius  
foundationem & progressum ab Anno Christi DCCCXXX. vsque ad Annum  
MCCCLXX. II. Coenobii ...

**Trithemius, Johannes**

**Francofvrti, 1601**

LXXII. Conradvs Abbas S. Stephani Herbipolensis Ioanni Trithemio abbati  
Span. S.

**urn:nbn:de:0128-1-17336**

IOANNES TRITHEMIVS ABBAS SPANHEMENSIS,  
optimo fratri Rogerio Sycambro  
salutem.

VENERVNT ad me Budorim quarta die mensis huius, Ioannes in Schotteren, Conradus S. Stephani in Herbipoli, & Georgius in Suartzach, monasteriorum nostri ordinis Abbates, missi à capitulo annali Moguntiaë pridem celebrato, hæc summarie habentes in mandatis, vt suis mihi persuaderent sermonibus ad monasterium redire. Duos etiam alios patres per capitulum ordinatos dicebant, qui Ducem nomine totius vniouis accederent Bursfeldensis, eumque mihi efficerent placatum. His ego auditis respondi, nō esse opus propter me deputatos accedere Ducem, quoniam illius reconciliationem & gratiam nec quæro nec opto. Absit à me vt illius deinceps dominio subijciat, apud quem mendacium valet plurimum, veritas nihil potest. Nimis temeratam iniuriam passus, si à Duce quam à tribus è conuentu meo, non reuertar amplius ad eos, sed resignabo abbatiam quamprimum rebus meis aliquantulum prouidero. Accepto missi responso, cum cerne-  
rent sententia fixum, non amplius molestarunt, sed rescripserunt abbatibus à capitulo deputatis, nulla fatigatione ad Ducem esse opus, quia omnino penes me statuissem non amplius redire ad Spanheim. Deus mihi prouidebit vbi maneam, & cum pace maiore quam in Spanheim vixerim in vnam. Quorsum vero me intendam conferre si velis scire, nescio quid respondeam. Tres me principes magni expectant, sed non placet mihi curias sequi principum. Tres quoque ordinis quem sum professus abbates potentiores vt ad eos veniam rogant. Sed ne fabulam putes, nomina dabo singulorum. Maximilianus Rex serenissimus Romanorum pluries (vt nosti) me sollicitari fecit, vt suo me cōferam seruitio. Marchionem Brandenburgensem non opus est vt citem in medium, cum scias quanti me faciat. Philippus quoque Bauariae Dux, & Comes Palatinus Rheni, clementissimus princeps, me prouidere quo ad viuam copiose pollicitus est, vel penes Abbatem Lymphurgensem, vel in suo principatu, vbi cunque voluero. Postremo iam mihi abbas S. Stephani memoratus dixit, abbatiam diui Iacobi apostoli maioris in suburbio Herbipolensi propediem vacaturam per resignationem presentis abbatis, quam si assumere velim, se operam daturum, vt res quantocius fortuatur effectum. Assensu consilio malens in paupertate viuere sub institutione monastica, quam diues in curijs principum conuersari. His ita conclusis missi ad me à capitulo patres octaua die mensis Septembris ad sua reuersuri discesserunt. Atego responsum saepe dicti abbatis expecto vtrum videlicet ita placeat reuerendissimo patri Episcopo Herbipolensi, quo tandem accepto te facturus sum de omnibus certiorum. Vale ex Budori 12. die mensis Septembris Anno Domini 1506.

## LXXII.

CONRADVS ABBAS S. STEPHANI HERBIPOLENSIS  
Ioanni Tritheimio abbati Span. S.

REVERENDE pater, iuxta recessum mutuae conclusionis nouissime in coenobio monialium Noui castri \* prope Heidelbergam factae, mox vt perueni ad propria. D. Reuerendissimum Herbipolensem episcopum accessi, & inter alia colloquia monasterium S. Iacobi concernentia vestrae paternitatis mentionem feci, asserens fore possibile, si suae paternitati reuerendissimae placeret, quod vestra paternitas eidem praeficeretur coenobio. Quod audiens summe dicebat sibi placere, pollicebaturque quod velit vestram paternitatem graciosè fouere, manusque fideliter praebere adiutrices, mihi quoque vt hæc quantocius vestrae paternitati significarem iniunxit. Vestra nunc igitur paternitas non sit in mora, quam ipse reuerendissimus dominus noster in omnibus grauius ferre consuevit. Reliqua mutuae referuo colloquutioni, quam altissimus prosperam & iucundam facere dignetur. Data Herbipoli in die exaltationis Sanctae crucis Anno Christianorum M. D. VI.

## LXXIII.

IOAN. TRITHE. ABBAS SPAN. CONRADO ABBATI S.  
Stephani Salutem.

LITERAS tuas pater venerande sextadecima die mensis huius Septembris apud Budoras in nouo castro \* coenobio suscepi, quibus relectis mentem reuerendissimi patris simul